



1. Alexander, Kaspar: De simulatione et dissimulatione politica. 1653.
2. Cichorius, David: In Christiani Wrumburgi collegii inst. Tubionum disputatio XII. De modis, quibus se con-
prestitus obligatio. 1653.
3. Cichorius, David: ^{collegii: notatissimi} In Christiani Wrumburgi; Disputatio XVIII.
ad Tit. I: quibus modis testamenta infirmiter [Tit. I],
et de heredum quantitate et differentia. 1653.
4. Cichorius, David: Collegii institutionum In Christiani
Wrumburgi Disputatio XII. De obligationibus in genere.
1653.
5. Coelius, Henricus: De retractis. 1653.
6. Coelius, Henricus: De eadem questionum in jure,
quae utimur, maxime controversarum... defendere
conabitur... 1653.
7. Nösel, Henricus: De electoribus Imperii Romano-
Germanici. 1653.
8. Coelius de Fezlinorez, Henricus: Titulonis finium regum
horum Delibatio. 1653.

9. Coselius de Feylinorez, Henricus: Repetitio et Synopsi-
sica tractatio Juris feudalis. — 1653.
10. Coselius de Feylinorez, Henricus: De legitimatone
1653.
11. Coselius, Henricus: De compensationibus 1653.
12. Dautschmann, Johannes: De justitia distributiva 1653.
13. Luper, Christian: De nobilitate. 1653
14. Noyes, Frachinus: De mutuo. 1653.
15. Ritter, Samuel: De patris potestate 1653 ejusdem
effectibus et modis eandem dissolvendi. 1653.
16. Ritter, Samuel: De tutelis. 1653.
17. Ritter, Samuel: De delegatione. 1653
18. Strauch, Regidius: De computo Juris. Arabico
1653.
19. Suerus, Gottfried: De actionibus. 1653.
20. Suerus, Gottfried: De publicis judiciis 1653.
21. Suerus, Gottfried: De stipulationibus et
fidejussoribus. 1653.

22. Suerus, Godefrid: Nobilitatem . . . examinanda . . . proponit . . . 1153.
23. Suerus, Godefrid: De obligationibus ex Delictis vel quasi . . . 1653.
24. Suerus, Godefrid: De contractibus inuentionalis 1653.
25. Suerus, Godefrid: De pactis confraternitatis inter Fratres Personarum in genere 1653.
26. Suerus, Godefrid: De parte 1653.
27. Alexander, Karpas: De iuribus maiestatis. 1654.
Johann Remneri
28. Lichner, David: (Vint. Palis) successiois legitimae, et jure civili, canonico, feudali et. Saxonum V. dissertationibus comprehensa . . . 1654.
29. Lichner, David: s. Joann. Remneri . . . veritate. nis Successiois Legitimae Disputatio I. De successione descendente. 1654.
30. Lichner, David: s. Joann. Remneri . . . veritate nis Successiois Legitimae Disputatio IV. de successione conjugum 1654.


31. Lichorius, David : Calligii institutionum & Chris-
tiani Krenbergi . . . disputatio de legatis
et fideicommissis, Lemgo. editio. 1654.
32. Lichorius, David : Dr. Ferencii Reumeri . . .
ventilationis successionis Legitimae, disputatio
de successione ascendentium. 1654.
33. Lichorius, David : Dr. Ferencii Reumeri . . .
ventilationis Successionis Legitimae disputa-
tio III. de successione collateralium. 1654.
34. Lichorius, David : Dr. Ferencii Reumeri . . . Ventila-
tionis Successionis Legitimae Disputatio II.
de successione fidei 1654.
35. Lichorius, David : De sortilegiis 1654
36. Caschus, Henricus : De donationibus 1654.
37. Caschus, Henricus : De sententia definitiva.
1654.
38. Caschus de Pegliunoy; Di jurisdictione eccle-
siasticam : Henricus :
riaticam, 1654

39. Caselius, Henricus : De nullitate sententiarum. 1654.
40. Helm, Hermann : De moneta. 1654.
41. Kuner, Andreas : De concilio ecclesiasticis. 1654.
42. Lederer, Michael : De pignori bus. 1654.
43. Lyser, Christianus : De jure mundinarum. 1654.
44. Nerger, Joachim : De dativa tutela. 1654.
45. Pomarius, Christophor : De aquis supra celestibus.
1654.
46. Ritter, Samuel : De jure naturali gentium et
civilis. 1654.
47. Strauch, Regidius : De annis. 1654.
48. Strauch, Augustinus : De processu secundae
instantiae et quidem de appellacionibus. 1654.
- 22^a, 249. Inerus, Gussfried : De avocatione causarum.
1654.
50. Inerus, Gussfried : De jure dotium. 1654.

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or letter.]







13970.

1/17.

1653

HYPOMNEMATA POLITICA
De
SIMULATIONE ET DISSI-
MULATIONE POLITICA.

PRÆSIDE

M. CASPARE ALEXANDRI,

publice disputabit

JOACHIMUS ERNESTUS Seidell /

in Auditorio minori

ad d. 3. Decembris

Horis pomeridianis

WITTENBERGÆ

Excudebat JOHANNES RÖHNERUS Acad. Typogr.

Anno 1653.



V I R I S

*Nobilissimis, Amplissimis, Experientissimis
ac Consultissimis*

Dn. Johanni Georgio Reinhardo,

Jcto Serenissimi Potentissimiq; Electoris Branden-
burgici, Camerae ac Consistorii uti & Appellationum in cau-
sis Ravenspergicis judicii, Consiliario optimè
merito.

Dn. Martino Weisio, utriusq; Me-

dicinae Doctori ejusdem Serenissimae Celsitudinis
Consiliario & Archiatro fidelissimo.

Dn. Paulo Brunnemanno Civi-

tatum Provincialium Deputato Ordinario Ejusdemq;
Camerae Electoralis causarum patrono, nec non Colonien-
si Consuli Spectatissimo.

Dominis suis Mæcenatibus atq; Patronis

In ulterioris favoris incitamentum
Experimentum hoc

Obseq. & devotè consecrat

Joachimus Ernestus Seidell/

LL. Stud.



HYPOMNEMATA POLITICA

de

SIMULATIONE ET DISSIMULATIONE POLITICA.

I.



Non omnis simulatio Virtutis Reipublicæ noxia est: illa certe Augusti, qua imperium ac libertatem se redditurum Patriæ fingebat, & ipsi & Reipublicæ profuit. Dion. Cassius Lib. LIII. *Hac arte Caesar, cum se velle imperium deponere simulasset, prolixa oratione habita, cui plus honoris quam fidei inerat, effecit, ut ei à Senatu Populoq; confirmaretur. Is ut popularis opinionem sibi nihilominus aliquam pararet, recepta in se omni Reipublicæ cura, negavit se omnes velle provincias obtinere, aut quas regendas sumpsisset, in perpetuum gubernare: ideoq; infirmiores, nimirum quia essent pacatiores, aliis attribuit, potentiores, ut quæ plus periculi ostenderent, ac vel hostes accolas, vel novos per se ipse aliquos motus turbare possent, sibi retinuit. Id faciebat sub hac specie, ut cum Senatus tutò bonis imperii perfrueretur, ipse laboribus & periculis objectus videretur. At sub eo prætextu, eum verè inermem imbellemq; efficiebat, & ad se solum arma militesq; transferebat. Frustra hic contra nititur Adamus Con-*

tzen Lib. II. Politic. c. XIII. nec sibi nec aliis satisfacit, omni legitimo destitutus argumento. Sed aliter honesto, aliter utili ratio constat. Nam & eò rediit mortaliū vesania, ut *honestā quaedam scelera successu* putet. Senec. Hippolyt. Act. II. v. Dxcvi. At nos in hac dissertatione quidem, non utilitatis ejus sequendæ præcepta damns; sed si qui eam expetierint, quasi in illustri monumento effictam constituimus; ut machinas inde hominum, & cautionum instrumenta juxta circumspicias.

II. Simulare Religionem bonum principem non decet. Preyelius de Viro Publico p. VII. concl. I. *Dis-
simulare religionem est simulare eam, cum nullam teneas; aut
ut maximè animam aliqua imbueris, aliam tamen profiteri,
ut principatum adipiscaris aut retineas. Ita dissimulatio
tanto magis in principe reprehenditur, quod ipse exemplar &
prototypon omnis virtutis & integritatis sit: adeò ut nihil mi-
nus quam hypocrisis ipsi conveniat, æque hominibus exosa ac
Deo abominata.* Præstitit ea laude Fridericus Saxoniae
Electo Sapiens; nam cum petenti illi suæ ditionis inaugu-
rationem pro more imperii, denegaret Casar, nisi prius cum
Ecclesia Romana in gratiam rediret; ille in cæteris quidem,
quæ sui sint officii, morem gesturum esse Casari, respon-
dit: in iis autem rebus, quæ ad conscientiam & Dei ver-
bum pertineant, se nihil *disimulare posse.* Sleidanus Lib.
VII. Comment. Eadem Joanni Friderico constantia a-
nimi fuit: de qua Thuanus Lib. v. Histor. *Postquam nul-
lo terrore adduci potuisse eum Casar intellexit, ut in eam con-
sentiret: neq; quicquam de religione secum ab illo tempore
actum esse, id vero se summi beneficii loco duxisse, eoq; æquiori
animo captivitatem tulisse, quod interea suam in religione li-
bertatem servare licuerit: in qua cum indies assidua sacro-
rum*

rum librorum lectione confirmator evadat, nolle se committere, ut si contra quam fieri debere sentiat, in religionis negotio se gerat, & divinam majestatem & Casarem ipsum ludificasse dicatur. In malo autem Principe non feram ægre præcepta illa Machiavelli c. xviii. saltem ut ne exemplo noceat amplius, ac sibi consulat interim. Nimirum, in id Princeps acrem curam diligentiamq; omnem adhibeat, ne quid ex ore ejus excidat, quod quinq; illis jam numeratis partibus non sit refertum, atq; ita conspiciendū audiendumve exhibeat, ut pietatem, fidem, integritatem, humanitatem, religionem sanctè colere videatur. Atqui nihil est, quod magis præ se ferre oporteat, quam postremam hanc virtutem. Ferè omnes homines magis specie & colore rerum, quam rebus ipsis permoventur & judicant. Nam videndi facultas, omnes attingit; atrectandi verò paucos. Vitam igitur Princeps tueatur, curetq; imperium conservare: quibus autem id fiat rationibus, ea modo honesti speciem præ se ferant, nunquam non honore dignæ, laudibusq; existimabuntur. Neque tamen hæc noviter reperta Machiavello, sed descripta duntaxat ex Aristotelis Lib. v. Polit. c. xi. sunt, atque ita habent: Præterea quod ad Deorum cultum attinet, hujus rei semper egregiè studiosus videri debet tyrannus. Nam minus timent, ne quid sibi incommodi præter leges, à talibus viris importetur, si principem religiosum esse & metu Deorum contineri & Deos curare existiment, & minus ad insidias tyranno comparandas se conferunt, tanquam Deos habenti belli societate conjunctos. oportet tamen sine stultitia & stupore mentis talem videri.

III. Quæ flagrantissimè cupiant, Principes recusare utile est, ut explorent voluntates hominum. Sic ille Accismus Tiberio evenit satis feliciter, de quo C. Tacitus I. Ann. vii. n. viii. Postea cognitum est ad introspecien-

das etiam procerum voluntates, inductam dubitationem. nam
verba, vultus, in crimen detorquens recondebat. Quo ille
fessus tandem clamore omnium, ex postulatione singulorum
flexit paulatim non ut fateretur suscipi à se imperium, sed ut
negare & rogari desineret. c. XIV. n. V.

IV. Cavendum ab his, qui egregium quodque
promptum lingua habent aliud mentali interpretatio-
ne condunt. Quia ipsa re fallunt, Rivetus Expli-
cat. Decalog. Exod. XX. vers. XV. pag. CCCXCVIII.
Tale illud apud Isocratem in Trapezitico: His ita
peractis iudices, putavit è prateritis actionibus manife-
stè suam improbitatem elucere, seque deinceps ea delicta
correcturum censuit. Itaq; ad nos accessit, professus se non re-
cusare, quo minus puerum det in questionem. Quasitoribus
delectis ad Vulcani Aedem convenimus. At ego quidem pete-
bam, ut deditus puer flagellaretur & torqueretur, donec eum
vera dicere putarent. Iste verò eos à se lectos dicebat, non ut
carnifices: sed jubebat verbis, si quid vellent puerum perconta-
ri. Orta igitur inter nos controversia, quasitores dixerunt,
se puerum non esse torturos: sed equum esse pronunciarunt, ut
leso mihi puerum traderet. Is verò à questione tāt opere abhor-
rebat, ut de tradendo quidem eis parere nollet, sed id omne ar-
gentum solvere paratus esset, si condemnatus ab eis esset. Quum
autem post congressus, iudices, omnes eum injuriam & ini-
quissimum hominem judicarent, qui puerum quem ego dix-
eram scire de pecuniis, quum prius ipse occultasset, à nobis occul-
tatum diceret: postea deprehensum ut liberum, torquere pro-
biberet: post eundem pro servo deditum, tortoribus delectis,
verbo torquere juberet, re non permetteret.

V. Magistratus, qui mentalibus amphiboliis data
veniã, peccantibus Subditis illudunt, & fidem & impe-
rii

rū reverentiam amittunt. Contigit ita Carolo Vto, cum se ignoscere Landgravio Hassiæ, & carceris perpetui gratiam facere simularet; ac nihilominus appositis custodibus detineret suppli em; quasi illud saltem cautum sit scriptis pæcis conditionibus, non quod omnino non esset detinendus, sed quod non perpetuo carcere; itaq; nihil contra datam fidem facturum, si vel per XIV. aut eo amplius annos ipsum detineat. Nam indignè factum merito plerisq; visum, Cesaris candorem & consiliariorum prudentiam in eo desiderantibus, qui vasa cavillatione fidem tanti principis in dubium vocaverint; eog; severa Mauritiū ab ipso Carolo ad Electoralem dignitatem evecti ultio consecuta est. Sleidan. Lib. XIX. & XIV. Comment. Hinc & Fridericus Palatinus, monenti Regi Angliæ, ut se Imperatori sisteret, in hæc verba rescripsit: Si exhibuerit se coram irato iudice (quod jubeatur) parum sibi cautionis, fore ex fide data à Cesare apud quem pro heretico audiat: axioma id Catholicis Romanis probatum esse: fidem hereticis non esse servandam. Gramondus Lib. XIII. Histor. Gall.

VI. Dissimulatis vitis ac simulata laude, nutantes sæpè ad officium redire cogimus. Buchnerus notis ad Agricol. Taciti Plutarcho in vita Marcelli. Italiam incumberet Hannibal, atq; ab eo laboraret Nola, Marcellus ut opem ferret, eò missus est. Distraxeratq; tum civitatem discordia, nitente pro Romanis Senatu, cum universa plebs Hannibalis esset. Sed eam maxime regebat ac sollicitabat Bantius quidam nobilitate opibus atq; virtute in primis pollens; Qui meritis obstrictus Hannibalis in partes ejus omnes pertrahere contendebat. Non ignorare illud Marcellus, neq; punire ac tollere quod poterat jure, cujus jam emendati operâ salubriter sese sperabat usurum. Itaq; invitare homi-

hominem ad se & quasi ignarus omnium quæ ageret Bantius, alloquitur humaniter, laudare præterea ejus virtutem prolixè, & comitati verborum amplexum quoque addere in benevolentia pignus; deniq; eidem equum eximium & non contemnendam pecuniæ summam dono dare. Quibus rebus id consecutus Marcellus est, ut post deinceps ei Bantius adjutor & socius fidelissimus haut tantum, sed delator eorum quoq; qui molirentur novas res, acerrimus fuerit. C. Nepos in Agesilao Cum quidam adolescentuli hostium adventu perterriti ad Thebanos transfugere vellent & locum extra urbem editum cepissent; Agesilaus qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quenquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit, atq; ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent, & se id quoq; fieri debere, animadvertisse. Sic adolescentulos simulata laude recuperavit, & adjunctis de suis comitibus locum tutum reliquit. Namq; illi, aucto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi; eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quæ cogitarant.

VII. Pessimum inimicorum genus, qui veris quamlibet virtutibus, simulata laudatione nos ipsos evertunt. Julianus Ep. ad Basilium. Qui laudant simulatione aulicâ, majore odio prosequuntur quam inimicissimos. Polybius Lib: IV. Hist. Novus quippe modus calumnie inventus est, non vicuperando sed laudando, fame ac commodis hominum insidiari. Quod vitium in aulis Principum ortum, usq; adeo inolevit, ut ea loca tanquam proprias quasdam sedes sibi videatur elegisse. Mamertinus in Panegyri. ad Constantin. Cum sancti Principis mores atque initium falsarum opinionum vituperationumq; licentiam submoverent; callido nocendi artificio accusatoriam diritatem laudum titulis

lis peragebant; in omnibus conventiculis, quasi per benevolentiam illa jactante; Julianus Alemanniam domuit &c. He voces fuerunt ad inflammanda odia probris omnibus potentiores. Si enim comminisci aliqua flagitia tentassent, facile eò splendore laudis ac gloriæ refutarentur. Invenirent accusandi genus, quod nullus refelleret. Plura vide sis apud Gruterum Discurs. Tacit. XII. part. II. His Roxolanæ artibus & Mustapha Solimanni filius concidit; De quo Thuanus Libr. XII. Rustanus gener, qui Roxolanæ negocium gerebat, ut Mustafam patri magis suspectum redderet, Joniæ & regionum Amasia vicinarum præfectis sigillatim mandaverat, ut de Mustafa indole & studiis diligenter perscriberent: rem enim gratisimam patri facturos, qui majorem natu filium in virtute indies proficere libentissimè audiret. Illi doli ignari crebrò scribebant, literasq; acceptas Rustanus Roxolanæ dabat; quibus Solimanni animus jam semel in suspicionem adductus magis quotidie incendebatur.

VIII. Nec illis ubique tutò creditur, qui adversus aliorum calumnias nos defendunt. Josephus Lib. XVI. Antiquit. c. XI. Inter omnes eminebat Antipatri contra fratres artificiosa machinatio, qui per alios involvens illos falsis criminationibus, ipse patrocinium eorum sæpè simulabat; ut approbata sua benevolentia facilius juvenes clàm posset opprimere. Atq; talibus versutiis circumveniebat patrem, ut putaret hunc solum incolumitatis sue curam gerere.

IX. Dissimulare iram prudentis est. Ita Melchior Trivisanus apud Guicciardinum Libr. IV. Hist. Injurias, sapientissimi Senatores, à Ludovico Sfortia, nostra Reipublicæ illatas gravissimas, & cum maxima digni-

B

tatis

tatis nostra offensione esse, negari minimè potest: nihilominus quo illa majores sunt, quoq; magis nos commovent, eo magis proprium prudentia est, justam indignationem judicii maturitate & utilitatis ac publici commodi consideratione moderari: Quoniam seipsum temperare & proprias cupiditates vincere, quo pauciores sunt qui id possint, & quo justiores sunt cause, quibus hominum indignatio & appetitus concitatur, tanto majorem habet laudem. Ita Adrianus, apud Ælium Spartianum, quos in privata vita inimicos habuit, imperator tantum neglexit: ita ut uni quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret: Evasisti.

X. Frequens malitia est, per simulationem colloquii fallere. Hirtius Lib. VIII. c. XIII. Comium Cæsar, qui non arbitrabatur vocatum in castra venturum, ne tentando cautiosem faceret; C. Volusenum Quadratum misit, qui eum per simulationem colloquii curaret interficiendum. Diodorus Siculus Lib. XVI. Hermias Marnesium tyrannus defecerat ab Artaxerce, ac plurima munita castella atq; oppida invaserat. Huic pollicitus Mentor, se regem adducturum, ut veniam præteritorum daret, ad colloquium pertrahit, ac deceptum comprehendere jubet. Ceterum potitus annulo & scriptis ad civitates literis, quibus Hermias nomine denunciatur, reconciliatum esse opera Mentoris regem, signum ejus impresit, unà missis qui munimenta reciperent. Qui in urbibus præsidia agitabant, de literis nil dubitantes prompto animo pacem amplexi sunt, illicoque munimenta atq; urbes tradiderunt.

XI. Per simulationem fumivendulos deprehendere juvat. Ælius Lampridius in Alexandro Severo. Speciatim Vetronium Turinum: Quem cum familiarem habuisset, ille omnia fingendo sic vendiderat, ut

Se-

Severi quasi stulti hominis, & quem ille in potestate haberet, & cui multa persuaderet, infamaret imperium; sicque omnibus persuaserat, quod ad nutum suum omnia faceret. Denique hac arte illum deprehendit, ut quendam immitteret qui à se quiddam publicè peteret, ab illo autem occultè quasi praesidium postularet, ut pro eo Alexandro secreto suggereret. Quod cum factum esset, & Turinus suffragium promississet, dixissetq; se quendam imperatori dixisse, quum nihil dixisset, sed in eo pendere ut adhuc impetraret, eventum vendens: quumq; iterum iussisset Alexander interpellari, & Turinus quasi agens aliud nutibus annuisset, neque tamen interim quicquam dixisset, impetratum autem esset quod petebatur, Turinusq; ab illo qui meruerat, fumi venditor ingenti a pramiâ percepisset; accusari eum Alexander iussit, probansq; per testes omnibus, & quibus praesentibus quid accepisset, & quibus audientibus quid promississet, in foro Transitorio ad stipitem illum ligari praecepit, & fumo apposito quem ex stipulis atq; humidis lignis fieri iusserat, necavit, pracone dicente. Fumo punitur, qui vendidit fumum. |

XII. Principi saepe proximorum dissimulanda crimina sunt. Julius Capitolinus in M. Antonino Philosopho. Petiit à Senatu ut honores Faustinae ademq; decernerent. laudata eadem, cum tamen impudicitiae fama graviter laborasset: quae Antoninus vel nescivit vel dissimulavit: Certè, cum de ea diceretur sibi, ut repudiaret; si non occideret, dixisse fertur: Si uxorem dimittimus reddamus & dotem. dos autem quid erat, nisi imperium, quod ille ab socero, volente Adriano adoptatus, acceperat? Tantum sanè valet boni Principis vita, sanctitas, tranquillitas,

litas, pietas, ut ejus famam nullius proximi decoloreret invidia.

XIII. Cum è nostris ad hostem deficiunt, utile aliquando est edere in vulgus, nostro jussu abiisse. Livius Lib.I.c.XXVI. Abeuntibus Albanis acie, Tullus in re trepida duodecim fovit Salios, fanaq; Pallori ac Pavori, equitem clara increpans voce, ut hostes exaudirent, redire in prælium jubet: Nihil trepidatione opus esse, suo jussu circumduci Albanum exercitum, ut Fidenatium nuda terga invadat: idem imperat, ut hostes equitesq; erigere jubeat. Id factum magnæ parti peditum Romanorum conspectum abeuntis Albani exercitus intersepsit: qui viderant, id quod ab rege auditum erat, rati, eò acrius pugnant. Julius Frontinus Lib.II.c.VII. Sulla cum præfectus ejus comitante non exigua equitum manu, commisso jam prælio ad hostes transfugisset, pronuntiavit jussu suo id factum; eaq; ratione militum animos non tantum à confusione retraxit, sed etiam quadam spe utilitatis, quæ id consilium secutura esset, confirmavit.

XIV. Multa verborum religione amicitiam contestari, donec bellum portis inferant, usitata Principibus ars, & aliquando expedit. Ita Jugurtha egit cum Hiempsale & Atherbale Micipsæ Regis filiis. De quo Sallustius in Bello Jugurthino. Ad ea Jugurtha, tametsi regem ficta locutum intelligebat, & ipse longè aliter animo agitabat; tamen pro tempore benignè respondit. Sed Hiempsal in oppido Tbirnida forte ejus utebatur domo, qui proximus licitor Jugurthæ, carus acceptusq; & semper fuerat: quem ille casu ministrum oblatum promissis oneravit, impellitq;, uti tanquam suam domum visens eat: portarum claves adulterinas paret: nam verè ad Hiempsalem refe-

referabantur: ceterum, ubi res postularet, seipsum cum magna venturum manu. Numida mandata brevi conficit: atque, uti doctus erat, noctu Jugurthæ milites introducit, qui postquam ades irrupere, diversi regem querere, dormientes alios, alios occurrentes interficere, scrutari loca abdita, clausa effringere strepitu & tumultu omnia miscere; cum interim Hiempsal reperitur, occultans se tugurio mulieris ancilla quo initio pavidus & ignarus loci profugerat. Numide uti jussi erant, caput ejus ad Jugurtham referunt. Et paulò post: ex improvise fines Atherbalis cum magna manu invadit; totoque adeò Numidarum imperio potitus est, calliditate improbus.

XV. Pace petita impetrataque; grassari, perfidia est. Caesar Lib. IV. Bel. Gall. c. XII. Hoc facto praelio, Caesar, neque jam sibi Legatos audiendos, neque conditiones accipiendas arbitratur ab iis, qui per dolum atque insidias petita pace ultro bellum intulissent: expectare verò dum hostium copie auferentur equitatusque reverteretur summa dementia esse judicabat, & cognita Gallorum infirmitate, quantum jam apud eos hostes uno praelio auctoritatis essent consecuti, sentiebat: quibus ad consilia capienda nihil spatii dandum existimabat. his constitutis rebus & consilio cum legatis & questore communicato, ne quem diem pugnae pratermitteret, opportunissima res accidit, quod postridie ejus diei mane eadem & perfidia & simulatione usi Germani frequentes, omnibus Principibus majoribusque natu adhibitis ad eum in castra venerunt; simul, ut dicebatur, sui purgandi causa, quod contra atque esset dictum, & ipsi petissent, praelium pridie commississent: simul, ut si quid possent, de induciis fallendo impetrarent. Quos sibi Caesar oblatos gavisus retineri jussit. Ipse omnes copias castris eduxit: equitatum

quod recenti praelio perterritum esse existimabat, agmen subsequi iussit: acie triplici instituta, & celeriter II. millium itinere confecto, prius ad hostium castra pervenit, quam quid ageretur, Germani sentire possent.

XVI. Differre Legatos Adversarii, atq; extrahere audiendi tempora, donec ipse Tuis prior respondeat, nefas non est. Id Tullus cum Albano egit. Livius Lib. I. c. XXII. Forte evenit, ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano pradae invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Alba. utrinq; Legati ferè sub idem tempus ad res repetendas missi: Tullus praeceperat suis, ne quid cum Albano prius, quam mandata agerent. Satis sciebat, negaturum Albanum; ita piè bellum indici posse. ab Albanis socordius res acta: excepti hospitio ab Tullo blandè ac benignè, comiter regis convivium celebrant, tantisper Romani & res repetiverant priores: & neganti Albano, bellum in trigesimum diem indixerant. haec renunciavit Tullo. Tum Legatis Tullus dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit. Illi omnium ignari, primum purgando tulerunt tempus: Se invitos quicquam, quod minus placeat Tullo, dicturos: sed imperio subigi: res repetitum se venisse: ni reddantur, bellum indicere iussos. Adhuc Tullius: Nunciate, inquit, regi vestro: regem Romanum Deos facere testes, uter prius populus res repetentes Legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant huiusce cladis belli.

XVI. Qui solis simulationibus student malignè, exosi plerumque & infelices sunt. Causinus de Regno Dei Dissertat. LXI. Omnes fermè qui cavillationes istas odere magnanimi, sunt omnium amoribus chari & plenis rerum successibus lati. Econtrario, qui ne tendis dolis student, pusilli, infelices, odiosi. Jugurtha Romanorum trium-

triumphis ludibrio fuit: Tiberius ab herede suffocatus. An-
dronicus Imperator Constantinopolitanus, qui pupillum va-
frè deceptum interemerat, effosis oculis, nudus asino ve-
ctus, & dirum in modum laceratus à populo. Ludovicus
Sfortia, cum tutela specie Mediolanensem principatum u-
surpasset, spe potiunde apulia, Gallos in Italiam accivit, ut
a'phonsi sibi imminentis arma diverteret. Mox idem quos
evocarat socios pessimis artibus prodidit præcipuus dolorum
omnium tum in Europa faber. Sed tandem potestate exu-
tus, spoliatus libertate, in arce Lochiensi conclusus per
decennium poenas veritati dedit, & extre-
mum spiritum exhausit in
carcere.



Non



Non tantum exhibuit simulantem soccus Afrani;
Cernimus has partes nunc quoq; ubiq; geri.
Nec bene prudentis reputatur munere fungi,
Qui malè personam dissimulantis agat.
Exprimit has artes corrupti callida seculi
Improbilas, & tot furtiva hominum atq; doli.
Quos agrè est exire omnes, si qualis es, exstes,
Et quondam haud aliqua nube latere velis.
Nec facile est veros hic non transcendere fines:
At te SEIDELI pagina docta reget.

Augustus Buchnerus.

ERecti SEIDELE animi, cui candida virtus
Annuit, & castas subjicit usq; faces.
Quà simulati incedit atrox fallacia campi,
Quaq; iter impediunt fraus, dolus, insidiæ;
Tu latebris solem eximium nigricantibus infer!
Sic media cernit mens pia nocte diem.

M. Caspar Alexandri.


ULB Halle 3
003 499 650



sl

VDA 7







1653 1
1/17.

A POLITICA
E ET DISSI-
POLITICA.
DE
ALEXANDRI,
utabit
ESTUS Seidell/
minori
embris
idianis
ERGÆ
NERUS Acad. Typogr.
3.

